

be proferito quel nome, che sostenuta da una forza superiore si vide trasportata sulla superficie dell'acqua all'altra riva sana e salva non solo, ma ben anche asciutta nella persona, e nelle vesti, spettacolo di maraviglia al consorte, e agli amici, che prima di lei erano giunti a quella parte.

Queste, e somiglianti opere prodigiose, che ci dispensiamo dal riferire, resero sempre più illustre il nome del nostro Apostolo; ma la via che a tanto onore lo condusse fu l'esercizio costante di ogni virtù, che rendendolo caro a Dio, lo fece meritevole di ottenere da lui per i suoi divoti quelle grazie, che venivano in suo nome ricercate. Se dunque il suo potere presso Dio da tanti sperimentato deve animarci ad interporlo per mediatore delle grazie, che ci son necessarie; fa d'uopo ancora che ci sforziamo, d'imitarlo nelle sue virtù, affinché come esse lo fecero degno di conseguire dal Signore tanti segnalati favori, dispongano noi pure a ricevere per suo mezzo quello che dimandiamo.

FINE

DECRETUM

MEXICANA BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

FR. ANTONII MARGIL A JESU

MISSIONARI APOSTOLICI

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI DE OBSERVANTIA

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Quod Discipulis suis praecepit Divinus Magister, euntes in mundum universum praedicate Evangelium, docete omnes gentes; id jugiter praestitit VEN. ANTONIUS MARGIL Hispanus, Sacerdos Professus Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, qui vix exacto Instituti tyrocinio, verbo Dei disseminando totus incubuit. Mox ad sacras Missiones in Indias adscitus, ministerium apostolicum alacriter suscipiens, a patriis oris oceanum trajecit; nec tantum novi orbis cognitas regiones peragravit, sed ad intimas et inaccessas plagas penetravit, inhospitas nationes adiavit, efferasque tribus ignotae linguae, immanitate barbaras, ignorantiae tenebris obrutas, vel praestigiis ac superstitionibus detentas, vel idolis cultum praestantes, Chri-

stum verum Deum ubique praedicans, ut eas gentes evangelicis praescriptis erudiret, et mitibus moribus imbueret.

Deo fretus VEN. ANTONIUS sine sacculo, pera, et calceamentis diuturna carpit salebrosa itinera: famem, siti, angustias quascumque patientissime toleravit; contumelias, vincula, sagittas, rōgos, capitis discrimen plures subivit intrepide; martirium anhelans, ut miseras animas ex Daemonis unguibus eriperet, et Christo subjugaret. Evidem superno roboratus praesidio multa hominum millia belluarum instar vitam trahentium ad Religionem perduxit, sacro fonte abluit, vitiosos cultus avulxit, abolevit superstitiones, idola confregit, sacella extruxit, Missionum domos, Collegia ad propagandam Fidem in remotis regionibus erexit. Pro Infidelibus convertendis ardua quaeque aggressus est. Pleuritidis tandem morbo correptus, dum iter faceret indefessus Christi operarius, Mexicum ad suorum confratrum coenobium perductus est, ubi, ingravescente morbo, sublimium Virtutum exhibens assiduos actus, mortalem cursum explevit septimo Kalendas Septembbris Anno MDCCXXVI.

Ven, hujus Viri Apostolici rerum gestarum ad Dei gloriam et Animarum salutem ingens fama ab illius interitu ubique diffusa Ordinarios Mexici, Guadalaxarae, et Guatimalae permovit ad colligenda testimonia, et Processus conficiendos de illius Vitae ratione, de obitu, de his quae obitum circumsteterant et subsequuta erant, ut transmissis ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem hujusmodi Processibus, et expenso eorum pondere, de hoc eximio Evangelii praeccone Beatorum honoribus decorando Apostolica Sede approbante ageretur.

At Caussae hujus cursum protraxerunt maxima loco-

rum distantia, et vicissitudines temporum adeo, ut post quadraginta et amplius annos a VEN. SERVI DEI obitu introducta fuerit, signata videlicet Commissione a sa. me. Clemente Papa XIV. quartodecimo Kalendas Augusti MDCCCLXIX. Longum intercessit exinde temporis spatium, ut in remotis Americae regionibus Processus Apostolici conficerentur solemnitatibus a Sacrorum Rituum Congregatione praescriptis. Omnibus quibuscumque absolutis, quae praemittenda erant, quaestio Theologalium et Cardinalium Virtutum incepta fuit Kalendis Decembris Anno MDCCCLXXXVI. conventu habito apud Rmum Cardinalem Pignatelli Caussae Relatorem. Ut iterum de more disceptaretur, coacta fuit Congregatio Praeparatoria in Palatio Apostolico Vaticano ante Rmos Cardinales Sacris Ritibus praepositos tertio Kalendas Februarii anno MDCCCLXXXVIII. Extunc caussae progressus rursus interceptus est ob notam Europae catastrophen. Post annorum plurium intervallum fere nullus supererat ex Patribus Consultoribus, qui in secundo illo conventu disseruerant, quamobrem renovari, supplicante hodierno Caussae Postulatore, benigne annuit SSmus Dominus Noster GREGORIUS PAPA XVI, et indicta est altera Congregatio Praeparatoria tertio nonas Februarii Anno MDCCCLXXXV. in Palatio Apostolico Vaticano, ubi eadem de Virtutibus disquisitio fuit instaurata. Tandem quinto Kalendas Maii proxime elapsi Generalia Sacrorum Rituum Comitia habita sunt coram SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO in Vaticanis aedibus, ubi tum Rmi Cardinales, tum ceteri Patres suffragia tulerunt.

Quibus attente perceptis, SANCTITAS SUA, quin iudicium clauderet, ad aliud tempus supremam distulit sen-

tentiam, admonens interim omnes in arduo negotio aeternae Sapientiae lumen fervidis precibus esse postulandum. Et quum Deum exorasset, remque altius secum revolvisset, mentem suam pandere hac die constituit Sancto Ignatio sacra Infidelium conversionis zelo adeo flagranti, ut ad praedicandum Indis Evangelium Sanctum Franciscum Xaverium miserit, quum utrumque VEN. ANTONIUS MARGIL aemulari studuerit. Hoc mane igitur sacra Hostia piissime oblata, SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER accersivit ad Quirinales aedes Rinos Cardinales Petrum Franciscum Galeffi Episcopum Portuensem, Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarium, Caussae Relatorem, et Carolum Mariam Pedicini Episcopum Praenestinum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarium, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, una cum R. P. Virgilio Peschelli Sanctae Fidei Promotore atque infrascripto me Secretario, ac palam affirmavit, „*Constare de VEN. SERVI DEI ANTONII MARGIL Virtutibus Theologalibus et Cardinalibus, earumque adnexis in gradu heroico* „.

Hoc autem Decretum evulgari, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri praecepit. Pridie Kalendas Augusti MDCCCXXXVI.

C. M. Episcopus Praenest. Card. Pedicinius S. R. E. Vice-Cancellarius, S. R. C. Praefectus.

OO. O. Joseph Gaspar Fatai S. R. C. Secretarius



